UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacrificio Missæ Expedite Celebrando Libri III

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1661

De privilegio Cruciatæ circa prædicta, n. 37

urn:nbn:de:hbz:466:1-41878

Visual Library

præcipere, ut in eo casu jejunetur in Sabbatho. Si sic præciperet, *Volumus ut per jejunium die Dominico factum non satisfiat præcepto jejunii, sed sit obligatio jejunandi in Sabbato*: inquiro, qui jejunaret die Dominico satisfaceretne præcepto? enimvero non satisfaceret, quia eo ipso quod Pontifex excludit illum diem, reddit illum ineptum ad satisfactionem præcepti, addicit enim præceptum ad alterum diem: Pari igitur modo dum actu excludit Oratorium, reddit illud ineptum pro satisfactione præcepti de audienda Missa, addicit enim illud ad alterum locum, & consequenter remanet in Fideli obligatione alibi audiendi.

De Privilegio Bullæ Cruciatæ circa prædicta Oratoria privata.

37. Dubitavit hic merito aliquis, cum in tenore con-

cessionis Oratorii privati caveatur ne plus quam una Missa, ibidem, celebretur in feriis; in festis autem solemnioribus ne una quidem possunt ne ab habente Bullam Cruciatæ sine talibus restrictionibus plures, & plures celebrari? Respondeo posse [a] tum in proprio, tum in alieno quantumcunque privato Oratorio. Ratio est, quia Pontifex in Bulla Cruciatæ concedit absolutè, & nulla facta exceptione, ut in privato Oratorio rite approbato celebretur etiam tempore Interdicti. Ex qua forma concessionis ducuntur duo argumenta. Primum notando illud (etjam,) quæ particula, si perpendantur ea, quæ de ejus natura docet Barbo-

a *Franc. Bar. d. in exp. Bullæ Cruc. pag. 2. tract 2. cap. 6. sect. 2. numer. 20. & 23. Faventius Rodr. in Addit ad § 5. numer. 4 Ludovic. à Cruc. inexpos. Bullæ d. p. c 5. d. 1. n. 3. Ægid. Trullench. in exp. Bull. l. 1. §. 2. num. 4.*

Barbosa, *a* facit hunc sensum. Non solum conceditur, ut possit celebrari in ceteris diebus indifferenter, atque adeo in ferijs, & festis quibuscumque, quod est minus, sed etiam in tempore Interdicti, quod est majus. Secundum, quia si Pontifex per Bullam id concedit absolute, & sine ulla temporis, vel numeri differentia non possumus nos, posita Oratorii approbatione, id restringere: nam licet in dicti Oratorii approbatione restrictio apponatur, tollitur tamen per facultatem absolutam, nec ulla limitatione restrictam concessam in Bulla. Exemplum est de Parocho, *b* is enim quamvis ex vi suæ approbationis solum possit suas oves absolvere, at supposita hac sua limitata approbatione, si ab habente Bullam eligatur, potest alienas,

a *Barbosa Dict 9. in Impr. Romana lege Castrop tr. de Bulla Cruc. disput. unic p. 6 àn 1 citantem Menoch. Zabarellam Decium.* b *Trullenc. ibid.*

non ex vi ſuæ approbationis, ſed hac ſuppoſita, ex vi conceſſionis per Bullam. Ita in Oratorio limitate approbato, ex vi talis limitatæ approbationis, non poteſt niſi limitate celebrari; at, hac poſita, Pontifex per Bullam illimitate concedit.

38. Conceditergo Bulla poſſe in dicto; quamvis limitato Oratorio. Primo celebrari in dictis ſolennioribus Feſtis Secundo poſſe plures, & plures Miſſas in dictis Feſtis celebrari, & in quibuſcunque diebus. Tertio recipi poſſe ibidem Euchariſtiam omnibus diebus præter diem Paſchæ, hoc eſt, præter unam communionem tempore Paſchali in Parochia exhibendam. Quarto ibidem ſatisfieri poſſe præcepto de audiendo Sacro, atque hæc omnia poſſe & eum, qui habet Bullam, & familiares, ac domeſticos, & conſanguineos habentis Bullam: quæ omnia patent ex te-

nore

nore Bullæ, & sparsim confirmant Doctores citati.

39. Et in hoc ultimo notes pervelim illud: *Familiares Domesticos consanguineos*, cum in Brevi Oratorii habeatur *in tua, & familia tua, & hospitis nobilis præsentia*. Consanguineos ergo, & Domesticos si comprehendit præter Familiares Bulla, ecquos nam comprehendit? Nomine consanguineorum comprehendi totam cognationem habentis Bullam, id est tam descendentes, & ascendentes, quam collaterales usque ad quartum gradum, quia omnes dicuntur consanguinei: merito docet Castropalaus [a] cum aliis. Nomine autem Domesticorum comprehendi puto omnes, de quibus dixi nu. 31. quorum quidem aliqui ibi large, seu

a *Castrop. de Bull. Cruc p. 6. numer. 8. Lezzana to. 3. Bulla Crucia-ta numer. 14. Rodriq. in exp Bull §. 5 num. 5, Ludov. à Cruce inexp. Bulla d. 1 c. 5. d. 3.*

reductive veniunt nomine Familiarium hic clare, & expresse sunt, & vocantur domestici, hoc est, in eadem domo viventes : Denique familiares iidem sunt qui nomine Familiæ veneruntsuprà à n. 28.

Ex quibus collige Maritum respectu uxoris, & uxorem respectu viri, ut etiam privignum respectu vitrici, & hunc respectu illius, licet comprehendantur sub nomine Familiarium, & Domesticorum, sunt enim hi maxime de Familia Domini, non venire *a* tamen sub nomine Consanguineorum, quia tales non sunt, sed affines, ceteros ergo remotiores affines : nisi forte de familia inveniantur, excludimus ab hoc privilegio.

40. Quod si contingat casus, ut Dominus habens Bullam non interfit Sacro, poteruntne prædicti de familia intereſſe, & satisfacere, immò etiam sibi celebrare facere in dicto Oratorio ? Posse negant Rodri-

a Castrop. l. 1.

Rodriquez,*a* & Henriquez *b* quia soli Domino, aliis autem non nisi ratione Domini concessum est privilegium. Concedit Ludovicus à Cruce *c* cum quibusdam junioribus tacito nomine, quia sicuti Dominus potest sibi celebrare facere sine familia; non obstante illud. Et, ibi, *in tua, & familiæ tuæ præsentia*, ita poterit familia sine Domino. Cujus ulterior ratio esse potest, quia cum Bulla non præscribat præsentiam Domini esse necessariam, nec nos debemus præscribere; sed affirmare Pontificem voluisse concedere Familiaribus hoc Indultum, ratione Domini habentis Bullam licet absentis. Utraque sententia est probabilis, & concedentem excipit etiam Castropalaus *d* citans Joannem Salas.

41. Adverte denique quoties quis uti dicto Oratorio privato ad

a *Rodr. ib* b *Henriq. lib. 7. c. 13.* c *Lud. à Cruc loc. cit n. 5.* d *Castrop. de Bull. Cruc p. 6. n. 9.*

præmissa, quæ sunt ex privilegio, voluerit; debere aliquas preces (sufficit etiam unum Ave) Deo porrigere, pro conservatione unionis Principum, eorumque victoria. Ratio est, quia sub hoc onere conceditur talis gratia à Pontifice, ut patet ex tenore Bullæ. Omissio autem erit venialis *a* quia res est, ex se, levis; nec invalidat concessionem, quia tale onus imponitur sub illa particula *dummodo*, quæ regulariter, modum notat, non conditionem ex Barbosa, *b* & Sanchez, *c* cujus quidem modi omissio, quando is modus adjicitur actui perfecto, (ut fit in casu nostro, prius enim à Pontifice conceditur perfecte privilegium prædictum, & deinde adjicitur *Dummodo orent, &c.*) non vitiat, hoc est, non invalidat actum, seu concessionem.

§. V. De

a *Bardi in expos Bull p. 2 tr. 2. c. 3. sect. 5 §. 1. & 2.* b *Barb. dict 10 in edit. Rom.* c *Sanch. l. 38. de matr. d 33. n. 2.*